

torum secondæ classis Symbolum recitant; Ipse autem Merati *loc. cit.* videtur sentire contrarium etiam si talia festa secundæ classis celebrantur cum octava, id probans exemplo Sancti Laurentii, quod licet celebraretur sub Ritu secundæ classis, & cum octava ab ecclesia universalis, nihilominus quia Sanctus Martyribus non convenit *Credo*, idcirco in tali Festo non dicitur *Credo*, nisi in Ecclesia ejusdem Titularis, ut patet ex communi praxi, & Decreto Sacræ Rituum Congregationis, in *Peruina* 23. Martii 1709. ibi: *In die Sancti Laurentii Titularis alicujus Ecclesia Cathedralis, vel Matricis nullius diocesis, non est recitandum Symbolum Apostolorum in aliis Ecclesiis ejusdem Loci, sed tantum in Ecclesia propria; adeoque à fortiori, concludit ipse, concedi non debet Credo in festis Sanctorum Confessorum alicujus Ordinis particularis, quamvis ab eodem celebrantur sub Ritu secundæ classis, & cum octava; At vero donec aliter à Sede Apostolica, seu Sacra Congregatione definiatur, non videtur recedendum à priori Guyeti, & Bissi, aliorumque opinione fundata in communi praxi, & consuetudine omnium fere Ordinum Regularium, cum consuetudo sit optima Legum interpres, cap. Cum dilectus §. de consuetud. leg. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus. Immo consuetudo inveterata, & legitime præscripta pro lege est observanda, L. De quibus 137. ff. de Legibus, cap. Cum tanto 11. de consuet. c. Non est 3. cod. in 6. cum similibus. (Verb. Consuetudo, & verb. Lex.)*

23. Fatemur tamen, quod præcisè dicta communi praxi, & consuetudine, in festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum, seu Viduarum, aliarumque non Virginum, non debet dici *Credo* juxta illud vulgare dictum *Mec non credit*, per cuius primam litteram *M.* indicatur non debere dici *Credo* in festis Sanctorum Martyrum, per secundam *P.* non debere dici in festis Sanctorum Virginum, & Viduarum, & per tertiam *C.* non debere dici in festis Sanctorum Confessorum, nisi sint Doctores Ecclesiæ, & nisi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ sint Fundatores Ordinis, Patroni aut Titulares Ecclesiæ, seu in ipsa Ecclesia habeatur eorum insignis reliquia, aut nisi talia Festa venerint in Dominicis, & infra octavas festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati *loc. cit.* num. 8. in fine. Et ratio est, quia, ut docet Alexander Aensis a. 10. de Sacram. Eucharistia §. 9. Quarti part. 1. titul. XI. de Symbolo vers. Ex quibus; & alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quæ de aliis in dicta Rubrica de Symbolo exceptis occurrunt.

24. Prima enim ratio, seu motivum, cur dicatur *Credo* in variis ex ibi assignatis festivitibus, est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo; ut tradunt Innocentius III. de mysteriis missæ lib. 5. cap. 51. Sanctus Thomas 3. parti. quest. 83. art. 4. Durand. lib. 4. c. 25. Quarti l. c. vers. Prima ratio: Gavanti, & Merati *loc. cit.* Rubrica de Symbolo, & alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Dominici dedicati sunt in memoriam Resurrectionis Christi, & cultum Sanctissimæ Trinitatis, de quibus mysteriis fit mentio in Symbolo, quæ ratio militat de omnibus festivitibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicut fit de Beata Virgine Maria, ac etiam de Angelis indicatis per ly Invisibilibus.

25. Secunda ratio, seu motivum, cur dicatur *Credo* in aliquibus aliis ibi enumeratis, est, ut docent S. Thomas *loc. cit.* Durandus *loc. cit.* Quarti l. c. vers. Secunda ratio: & ipso teste alii communiter, quia ipsi Sancti vel primo symbolum composuerunt, vel egregie fidem in eo contentam propagarunt prædicatione, & doctrina; & ideo dicitur in festis Apostolorum, & Evangelistarum; item in festo S. Mariæ Magdalensæ, quæ ex Innocent. III. *loc. cit.* fuit Apostolorum Apostola; item in solemnitatibus creationis, & consecrationis Summi Pontificis, & consecrationis Episcoporum, quia ipsi sunt Successores Apostolorum; & in festis insigniorum Doctorum, quia singulati sua prædicatione, & doctrina plurimum fidem in symbolo contentam propagarunt.

26. Tertia ratio, seu motivum tandem, cur dicatur in reliquis aliis, est, ut voluit Alexander Aensis *loc. cit.*

Quarti *loc. cit.* vers. Tertia ratio, Gutierrez lib. 3. c. 28. quart. 3. Merati *loc. cit.* num. 4. & alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam, aut locum hoc honore dignantur, ut earum missæ votivæ solemniter pro re gravi, aut pro publica Ecclesiæ causa celebrantur; & ob id dicitur *Credo* in festo Patroni, & Titularis Ecclesiæ, dedicationis, seu consecrationis ejusdem, ac in festis Fundatorum Ordinum, ac in Festis illorum, de quibus in ecclesia habentur insignes reliquæ.

27. In festo Sancti Joannis Baptistæ, quamvis sit prima classis, & cum octava, non dicitur *Credo*, quia Sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem, & consummavit cursum ante promulgationem Evangelii, & Institutionem Symboli, ut tradit Quærti *loc. cit.* vers. Opponi posset: & in simili Durandus l. 7. cap. 34. num. 8. & alii. Quæ ratio militat etiam pro festo Sancti Joseph, & aliis. Similibus. In festo autem Sancti Laurentii Martyris, quamvis sit secundæ classis, & cum octava, non dicitur *Credo*, quia in ipso non habent locum supra assignatæ rationes, & motiva dicendi symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis Ecclesia in festo illud omittat, sicut illud omittetur in festis Sancti Stephani, & Sanctorum Innocentii, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicut de facto omittitur in die octavæ Innocentium currentis extra dictam octavam.

In missa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*; S. R. C. in Benevent. 2. Decemb. 1684. & in Lycien. 15. Septemb. 1691.

Sola ratione SS. Sacramenti expositi, non est dicendum symbolum in missis privatis. S. R. C. in una Canonico. Regul. Lateran. 2. Decemb. 1684. Et idem statuitur in Instructione Clem. XI. & XII. pro expositione SS. Sacramenti. occasione 40. Horarum §. 10.

Dum in missa solemniter canitur *Credo*, non debent pulsari organa, Conc. Provincial. Mediolanensis. III. apud Gavanti. in Manual. Episcoporum. verb. Missa Conventualis sub n. 22. ibi: Symbolum totum canatur à Choro, non alternatim cum organo. Sic etiam Ceremonial. Episcoporum. l. 1. cap. 28. ac Ceremonial. Ordinis Minor. part. 4. cap. 9. quod tamen ibid. num. 7. subjungit, quod si numerus Cantorum, seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari à choro, & organo: Sed organo sonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce quæ à choro non cantantur, ut sequitur, ac docet etiam Simon Buongiovanni in Sacram. Ceremoniarum. Silva *loc. cit.* cap. 10. vers. Quod sit: In hoc enim casu subintrat necessitas, quæ facit licitum, quod aliis est illicitum, c. Quod non est licitum 4. de Reg. Jur. c. Omnes 1. de Fer. c. Consulisti 3. de celebrat. Missarum. cum non subiaceat legi necessitas, c. Consilium 2. de observ. jejun. cap. Sicut 11. de consecration. distr. 1. cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur *Credo*, non potest prosequi missam. S. R. C. in Beneventana 13. Septemb. 1670. & in Januen. 17. Decemb. 1695.

Alia ad rem. Vide verb. Missa art. 12. & 13.

Symbolum in qualibet missa, etiam pro defunctis recitatur à Græcis, eumque morem servari à Monachis Ordinis Sancti Basilii jubet Benedictus XIV. constitutione incip. Quem Religiosis sensum §. 6. Symboli recitatio in missa à Græca ad latinam Ecclesiam tradita est. Idem constituit. incip. Allate sunt §. 28. Symbolum idem sine additamento Filioque à Græcis, & Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversè facti circumstantiæ exegerunt. Idem ib. §. 30. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed & deuscut superaddere particulam Filioque. Hinc non modo Patres Concilii Zamoscia tit. 1. de Fide Catholica, sed etiam Patres Concilii Libanensis part. 1. ed. tit. n. 11. provide, ac recte statuerunt, ut et Sacerdotes omnes eorum legitimi subjeti, Symbolum juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, cum particula Filioque usurpent. Idem ibid. §. 30.

SYNDICUS.

SUMMARIUM.

1. **Syndicus** græce idem est, ac latine Defensor.

2. **Syndicus** proprie acceptus quid sit.

3. **Syndicus**, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto: Tamen proprie & stricte acceptus distinguitur à Procuratore proprie dicto, & accepto, & quare.

4. **Syndicus** proprie captus distinguitur etiam ab Administratore, seu Oecono. & quare.

5. **Syndicus** proprie captus distinguitur etiam ab Administratore, seu Oecono. & quare.

6. **Syndicus** quomodo sit constituendus.

7. **Constitutus** est, ut Religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi syndici, sed potius aliquem extraneum Procuratorem generaliter, seu syndicum constituant.

8. **Attamen** exigente utilitate sui monasterii possunt Religiosi ipsi esse syndici.

9. **In Ordine Minorum** ex concessione plurimorum Pontificum pro unoquoque conventu constituitur unus Syndicus Apostolicus.

10. **Sed prius** concesserant Nicolaus III. & Clemens V. & quomodo.

11. **Deinde** ad facilius, & commodius esse, specialem pro unoquoque conventu concesserant Marinus IV. & V. ac Paulus IV.

12. **Hæc** secunda concessio non est contraria primæ, & hi speciales syndici pariter cum substitutis dantur, seu donantur.

13. **Horum** syndicorum usus nullatenus repugnat observantia puritatis Regula, nec est dispensatio in ipsa.

14. **Modus** utendi syndico ad præscriptum Martiniana, & Pauline, est facilior, & tutior pro unoquoque conventu: Immo non habens hujusmodi syndicum ponitur se in periculo transgrediendi Regulam.

15. **Syndici** Apostolici deputantur pro toto Ordine à Generali; pro Provinciis, & Custodiis, ac Conventibus a iuribus subiectis à Provincialibus, & respective Custodibus, vel etiam à Guardianis de expressa Procuratorum licentia.

16. **Etiam** Procurator, & Commissarius Generalis Curia Romane possunt syndicos pro ipsorum respective Officio deputare.

17. **Non** possunt à dictis Superioribus deputari plures syndici, sed unus dumtaxat pro unoquoque conventu.

18. **Unus** syndicus potest deputari etiam pro Hospicio habente suum præsidem, & unus à Superiore Generali pro Religione, & à Provinciali pro Provincia. Quod idem currit pro infirmariis relicto distincto regimine ab illo conventu.

19. **Non** possunt autem dicti Superiores deputare alios syndicos pro Religiosis particularibus.

20. **Immo** Fratres privati nec de licentia Superiorum possunt habere apud syndicum conventus pecunias à massa communi separatas.

21. **Nec** Frater particularis sine vera necessitate, & licentia Superioris, potest uti pecunia sponse deposita pro ipsius indigentibus ab Amico spirituali apud syndicum tanquam suum substitutum, & retento sibi dominio.

22. **Posita** tamen vera necessitate, & negligentia Superioris in ministrando necessaria, potest Frater subditus nedom in tale depositum sponse oblatum consentire, sed suis indigentibus providere, etiam per recursum ad Amicos spirituales, dummodo servet moderationes pro declarationis Pontificis præfinitas.

23. **Quoniam** autem sint dicta Pontificia modificationes observanda, & pro quibus necessarius possit à Fratribus pro pecunia haberi recursus ad Amicos spirituales, remittitur.

24. **Bona** Syndici sunt ratiæ hypoteccata pro securitate elemosynarum, & ex ejus bonis debet dampnum à se cautum reparari.

- 25. **Habet** ad id novus Syndicus actionem contra Exsyndicum, & ejus heredem.
- 26. **Coram** quo Judice possit, & debeat ad id conveniri.
- 27. **Syndicus** Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus Exsyndicum decessum, vel ejus heredem, & adversus alios veros debitores.
- 28. **Possunt** Conventus præter Syndicum habere etiam Substitutum, & etiam plures, prout opus fuerit. Substitui autem, seu substitutorum deputatio fieri debet à Syndico, & non à Fratribus, ad num. 29.
- 30. **Non** possunt Fratres à syndico computus juridicos exigere.
- 31. **Possunt** tamen Generales, & Provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos Syndicos remove-re, aliorque subrogare, seu constituere.
- 32. **Sine** dicto Procuratore, vel Substituto nihil emi, aut vendi potest: Nec Guardianus elemosynas pecuniarias tenere potest, nisi in manu Syndici, vel Substitui, ejus licentia.
- 33. **Syndici** Apostolici, seu Procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem, quæ assignatur.
- 34. **Non** possunt tamen alienare mobilia pretiosa Ecclesie incorporata sine Beneficio Apostolico; Nec alias res vendere sine prævia affixione Editorum, ut venditio fiat majori oblati.
- 35. **Syndici** Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, motis, & movendis. Et asserunt ad id constituto Clementis VII.
- 36. **Asferunt** etiam constituto Innocentii XI, quæ confirmantur in forma specifica decreta variarum Sacrarum Congregationum emanata super exemptione præfatorum syndicorum.
- 37. **Dicti** syndici Apostolici non possunt compelli ad exor-cenda munia publica Communitatis, nec conveniri nisi coram Judice Conservatore.
- 38. **Tales** syndici gaudent privilegio fori sunt exempti à repressaliis.
- 39. **Submittuntur** hic varia decreta Sacræ Congregationis Imman. ad rem facientia, usque ad num. 60.
- 60. **Unus** tanquammodò syndicus pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis.
- 61. **Syndici** Apostolici in præseni tenentur ad omnia communicativa.
- 62. **Syndici** Apostolici in præseni tenentur ad omnia communicativa.
- 63. **Ecclesiastici** assumpti in syndicos Apostolice non sunt exempti à jurisdictione Ordinarii.
- 64. **Syndici** Apostolice non comprehenduntur in decreto, quod Seculares non pernoctent in Conventibus Fratrum Minorum.
- 65. **Soli** syndico Apostolice, & non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformatis, licet exigere in judicio Legata.
- 66. **Syndicus** Apostolicus nequit habere dominium, & possessionem Censu relicti dictis Fratribus. Nec dicti Fratres nomine syndici possunt retinere bona stabilia, census, alioque annuos redditus.
- 67. **Dictus** Syndicus in concensibus correctionem novorum, non est exemptus à jurisdictione Ordinarii.

Syndicus græce idem est ac latine Defensor. Sic notant communiter Doctores in cap. Sicut studii unio. de Syndico. Unde Syndicus proprie acceptus est ille, qui constituitur ab aliqua Universitate, seu Collegio, vel Capitulo ad negotia illius pertractanda, ac potissimum ad causas, & lites illius in judicio persequendas. Sic in re Communis, per text. & Gloss. in cit. cap. Sicut studii, verb. Generaliter, & leg. Neque societas 1. §. r. ff. Quod cujuscunque Universitatis nomine, vel universam agatur.

Syndicus, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto, cum nomine Procuratoris generaliter acceptum etiam Syndicum sub se complectatur, argum. cap. Saluator 8. vers. In nomine caus. 1. quart. 3. cap. Quia in causis 7. & cap. Petitio 9. de Procuratoribus, tamen proprie, & stricte acceptus distinguitur à Procuratore proprie dicto, quia hic constituitur à quocumque privato domino, & in causis pri-

Mmm va-

vatis: Syndicus vero ab Universitate, Collegio, Capitulo, & in causis publicis, & communibus, ut colligitur ex cap. Petio 9. de Procuratoribus, & noiant Abbas in cit. cap. Sicut studii unio. de Syndico num. 2. Engel lib. 1. Decret. tit. 39. num. 1. Pirhing. ibid. n. 1. Reiffenstuel ibid. num. 3. & alii passim.

4 Syndicus proprie captus differt etiam ab Actore, quia Actor constituitur specialiter ad unam tantam causam, vel ad plures, sed tantum presentes: Syndicus vero constituitur generaliter ad omnes causas tractandas, tam presentes, quam futuras. Glossa in citat. loc. Neque Societas 1. verb. Syndicum ff. Quod cuiuscunque Universitatis &c. & citati Doctores. Quamvis etiam Actor Universitatis quandoque pro Syndico statur, & e contra, ut patet ex loc. cit. Neque societas &c. ibi: Actorem, sive Syndicum.

5 Syndicus proprie captus differt etiam ab Administratore, seu Oeconomio, quia hic precipue in Administratione pecunie, & aliorumque negotiorum extrajudicialium, Syndicus vero potissimum in litibus processuquid versatur. Engel loc. cit. num. 2. Reiffenst. loc. cit. num. 3. Pirhing. loc. cit. num. 3. & alii.

6 Ad constituendum Syndicum omnes de Communitate, seu Collegio, vel Capitulo, qui jus suffragii habent, citandi, seu convocandi sunt, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, textu expresso in cap. Ad huc 7. de Offic. Archidiaconi, ibi: Cum ab omnibus quod omnes tangit, approbari debeat. Si autem aliqui vocati nolint intervenire, ut recedant, possunt presentes eum constituere; dummodo duæ partes ex tribus de Communitate, Collegio, seu Capitulo eorum, qui volunt, possunt, ac debent interesse, sint presentes, & major pars presentium consentiat; leg. Nulli 3. juncta Glossa verb. Duæ partes ff. Quod cuiuscunque Universitatis &c. & ibid. Bartolus n. 8. leg. Quod major 19. ff. Ad municip. Hostiens. in Summa de Syndico n. 10. Pirhing. loc. cit. n. 2. & alii passim. (verb. Ejicere.)

7 Quamvis consultus sit, ut Religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi Syndici, sed potius aliquem extraneum Procuratorem Generalem, seu Syndicum constituant, cui causam in Judicio tractandas demandent, assignato ipsi convenienti salario, ut disponitur in citat. cap. Sicut studii unio. de Syndico, cum, ut ibi dicitur, præstet, ut servi Dei modicum aliquid expendant in salarium Syndici, quam ut ipsi forensi causarum strepitu involvantur, ibi: Expediit pro parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei esse quietos: Nihilominus loquendo de necessitate, non possunt Religiosi compelli ad constituendum Syndicum extraneum, sed exigente sui monasterii utilitate, v. gr. si monasterium sit inops, ut extraneo Syndico salarium dare non possit, aut si alius idoneus, & fidelis vir haberi nequeat, potest Religiosus in causis sui monasterii Syndicus constitui, argum. cap. Monachi 16. quest. 1. c. Insuper 16. de testibus, & cap. Cum deputatis 16. de Judic. Et sic notant Abbas in cit. cap. Sicut studii num. 4. Layman ibid. n. 1. Pirhing. loc. cit. num. 5. Reiffens. l. c. n. 6. & alii (In fin. Tbm. 1.)

9 Pro ordine FF. Minorum plures Summi Pontifices concesserunt, ut unusquisque Conventus unum Syndicum, seu Procuratorem Apostolicum extra Religionem habere possent, qui nomine Romane Sedis elemosynas Fratribus Minoribus & fidelibus elargitas, recipiat, & administrat, eorum providendo necessitatibus. Sic concessit Martinus IV. constituit incip. Exultantes in Domino. . . qua concessione licite utuntur, non obstante quod id prohiberet Joann. XXII. Extravag. Ad Conditionem de verb. significat. Nam prohibitio fuit modificata; nisi de speciali Sedis Apostolicæ licentia, que subinde emanavit à Martino V. constituit incip. Amabiles fructus, & à Paulo IV. constituit incip. Ex Clementis. . . in qua Paulus liras concessivas Prædecessorum confirmavit, & innovavit, dictamque facultatem iterum expresse concessit; insuper declarando quod id non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus prædecessoribus suis provisus pro puriori illius observantia, ut & declaravit novissime etiam Innocentius XI. constituit incip. Sollicitudo Pastoralis Officii. . . confirmat: ab

Innocent. XII. constituit incip. Aliàs. . .

Concesserat prius Nicolaus III. in cap. Exitit qui seminat 3. de vobor. significat in 6. & Clementis V. in cap. Exivi de Paradiso 1. inter Clementinas, & de verb. signif. quod Frater Minor pro para sua Regula observantia possent in suis indigentibus, & necessitatibus recurrere ad amicos, seu benefactores spirituales, qui vel per se immediate, vel per alias personas substitutas, ac depositarias sibi benevolentis, aut etiam sibi à prædictis Fratribus nominatas, seu præsentatas, pecunia, aliisque rebus necessariis ipsis succurrerent, remanente tamen (si secus non expresserint, aut declaraverint) apud ipsos donantes benefactores pecunie, donec fuerint expressa, dominia; vel ipso in Sedom Apostolicam assumpto, si donantes, offerentes, aut legantes intelligerent omnimode à se illud abdicasse, seu è vivis decessisse; & in tali casu possent Fratres ad personam deputatam, seu substitutam, aut depositariam (non obstante concedentis, seu donantis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant ad ipsum dominum concedentem, seu donantem. Cum autem advertissent, & experimento didicissent Fratres, sibi grave onerosum, molestumque esse ad plures personas pro diversitate benefactorum recurrere, sibi que facilius, commodiusque esse informare unam, quam plures, de modo debito expendendi pecuniam in suas necessitates, ac indigentibus ad puram Regule observantiam, pro securitate, ac serenitate conscientiæ, ad renovandos scrupulos, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam sub Martino IV. & V. ac Paulo IV. qui per suas peculiarias supra allegatas constitutiones concesserunt, ut ad id unusquisque Conventus unum Syndicum, seu Procuratorem Apostolicum extra Religionem tute habere possent. Qui Syndici sui Procuratores in omnibus parificantur cum substitutis dantium, seu donantium: Sicut enim donantes ex concessione Nicolai III. & Clementis V. dum nolunt per seipsum pecuniam in necessitate Fratrum expendere, possunt substitutos nominare, qui eorum vice, & nomine id agant, & si nolint ipsi eos nominare, possunt tales substituti ipsi presentari, & nominari à Fratribus; talesque sic nominati substituti auctoritate donantium tenentur modo Fratribus licite pecuniam expendere: Ita etiam Syndici, seu Procuratores Apostolici ex concessione, & declaratione Martini IV. & V. ac Pauli IV. per Superiores Fratrum electi, ac nominati, tamquam substituti Papæ nollent, seu non potentes per se ipsam expendere, & administrare de ejusdem nomine, & auctoritate, possunt, ac debent modis Ordini congruis, Fratribusque licitis pecuniam administrare. Tum quia Syndici Apostolici duplicem gerunt personam, id est, Substitutorum donantium quoad pecunias, quarum dominium dantes, seu donantes sibi reservassent; & Substitutorum Papæ quoad pecunias, que sunt de dominio Papæ, (cum illud dantes, seu donantes à se ablegasse censentur.) Hinc sicut substituti donantium nihil Regule puritati præjudicant ex declarationibus Nicolai III. & Clementis V. ita à pari nihil Regule puritati officium Syndici Apostolici ex declarationibus Martini IV. & V. ac Pauli IV. & Innoc. XI. constituit incip. Sollicitudo Pastoralis officii §. 6. ubi sic expresse habet: "Declarantes tamen pariter quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici; cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriori illius observantia; sive ejusmodi Syndici assumentur ad præscriptum constitutum Nicolai III. & Clementis V. prædecessorum prædictorum, sive secundum dispositionem constitutionum recol. memor. Martini IV. & V. ac Pauli IV. prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respective fuerit receptus." Ex quibus clare, & expresse constat, quod Syndicorum, seu Procuratorum Apostolicorum usus sit omnimode licitus Fratribus Minoribus, nec sit dispensatio in regula, sed modus à Romanis Pontificibus provisus pro pu-

riori illius observantia, sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum constitutum Nicolai III. & Clementis V. sive secundum dispositionem constitutionum Martini IV. & V. ac Pauli IV. prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis Fratrum Minorum respective fuerit receptus ex supra allata literali declaratione Innocentii XI. Et quod dispositio Martiniana, & Paulina nominandi, & deputandi Syndicos non sit in re contraria declarationibus Nicolai III. & Clementis V.

24 Modus tamen utendi Syndico Apostolico assumpto ad præscriptum Martinianæ, & Paulinæ videtur facilius, commodior, & tuior pro unoquoque Conventu. Immo Portellus dub. Regul. verb. Syndicus n. 4. & Mathæuc. schola paupertatis tit. 4. cons. 1. n. 44. volunt, quod Conventus non habens hujusmodi Syndicum ponat se in periculo transgrediendi regulam, cum, ut dicunt ipsi, vix inveniendus sit Conventus quantumcumque reformatus, qui tali Syndico non indigeat ad recipiendas, ac retinendas nomine Sedis Apostolicæ pecunias adventitias, oblatas, ac traditas, præsertim ab advenis, transeuntibus subveniendis. Quod non tam facile, ac tute semper fieri potest per amicos spirituales, qui velint per seipsum, vel alios deputatos, seu substitutos suas pecunias in fratrum necessitates expendere. Ultraquamquod cum nimis incommodis ac periculis tute debeat substitui, quot essent donantes; quotidiana enim experientia magistra similes amici spirituales, ac benefactores, aliique elemosynas pro missis, aliasque adventitias fratribus offerentes, atque donantes rogati, vel quod ipsi eas in fratrum indigentias expendant, vel quod id alteri personæ committant, respondere solent, Hæbetis Syndicum, mittam ad Syndicum, nec possum, nec volo ulteriorem curam suscipere. Immo plures, ac plures, præsertim à Conventibus distantes, advenæ, & peregrini, ac alii aliud nolentes incommodum, solent sine ulla intentione retinendi in se dominium mittere ad Conventus pecunias, aliasque elemosynas, quæ certo sine tali Syndico non possent tute recipi, retineri, & expendi; cum ad id per tales dantes non censeatur nominata, & substituta alia persona, nec ipsis per fratres presentata, aut nominata, nec alia in tali causa reperitur auctoritate Pontificis nominata, & deputata, quæ tute possit ipsas pecunias recipere, retinere, & expendere in fratrum necessitates contra dispositionem, ac declarationem respective tum Nicolai III. & Clementis V. tum Martini IV. & V. ac Pauli IV.

25 Syndici Apostolici deputantur pro toto Ordine à Generali pro Provinciis, & Custodiis, ac Conventibus sibi subiectis à Provincialibus, & respective Custodibus, vel etiam à Guardianis de expressa Prælatorum licentia juxta dispositionem Pauli IV. in dict. const. incip. Ex Clementi. . . ut recte notat Mathæuc. Schola paupertatis tit. 4. cons. 1. n. 1. & Official. Curia c. 61. num. 1. Qui insuper addit, quod etiam Procurator, & Commissarius Generalis Romane Curie possunt Syndicos pro ipsorum respective officio constituere, ut probat Sanctorum Comment. cap. 8. Statut. 37. in fine. Et ad id cap. 4. stat. 3. in princip. refert concessionem Eugenii IV. 4. Calendario Maji 1432. ibi: Quod possint etiam sacre Provinciales in Provinciis, & Procuratores Ordinis in Romana Curia.

27 Non possunt tamen à dictis Superioribus deputari plures Syndici, sed unus dumtaxat pro unoquoque Conventu: Colligitur ex infra afferenda constitutione Clementis VII. incip. Dum consideramus. . . in qua uni tantum Syndico Conventus quedam privilegia conceduntur. Et ex infra etiam afferendis literis Innoc. XI. inc. Aliàs. . . in quibus ipse Pontifex decreta Sacre Congregationis memorata privilegia concernentia confirmat, habetur: Ut unicuique Conventui dicti Ordinis assignetur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes elemosynas (nota ly omnes poni adversative ad alium, qui aliquas recipiat) tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus (nota ly Solutus ponit exclusive seu privative ad alios) in necessitates Fratrum applicare debeat. De qua re nefas est dubitare, ut expresse dicit eruditissimus Mathæuc. in Schola paupertatis tit. 4. consil. 2. n. 5. cum omnia decreta Apostolica uniformiter procedant, & pro

unico semper disponent, & supponant, ut patet in decretis approbatis, & confirmatis in dicta constitutione Innoc. XI. & in aliis editis à Congregatione particulari ab Urbano VIII. preposita consultationibus fratrum Minorum de Observantia, & à nobis allatis sub verb. Legatum. . . Ac in provisione Apostolica Martini V. in constitutionibus & declarationibus suis à Sancto Joanne de Capistrano ad annum 1430. impetratis sic expresse habetur: Quoad quartum Capitulum Regule, quod Fratres non recipiant pecuniam, statuis, & ordinamus juxta declarationem Nicolai III. & Clem. V. & Martini IV. quod quilibet Conventus, & locus habeat suum Procuratorem, Oeconomum, Syndicum, & Actorem, cui omnes elemosynas pecuniarias, & alia, que ad pecuniam reduci possunt integraliter assignentur: Qui easdem dispensare legaliter & fideliter pro reparatione Conventuum, & locorum & ad alias necessitates pro tempore occurrentes debent, sic quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant. Hæc Martinus V. ut refert doctissimus P. Petrus Marchant in relatione theologica difficultat. 3. §. Provisio Apostolica Martini V. . . Et sic in statutis Generalibus in compilatione Sambucana cap. 4. §. 1. num. 4. ubi sic præscribitur: Ut quilibet Conventus habeat Syndicum, & Procuratorem, ac etiam substitutum, si opus fuerit, & non alios. Nota Syndicum in singulari distingui, à ly non alios. Quocirca recte inferit Mathæuc. in cit. Schola paupertatis tit. 4. consil. 2. num. 5. in fine, non est recipienda doctrina Cordubæ cap. 4. Regule §. 16. vers. Tertio notandum. . . ubi tradit plures Syndicos posse esse pro uno Conventu, ad effectum recipiendi elemosynas pecuniarias, licet duo tantum privilegiis fruerentur; cum enim adversus ipsam sententiam supra allegata, non est ejus opinio in proximum deducenda, nec quis velit in Regulam offendere, & pro Syndico uti persona interposita. Hæc ille.

Qui tamen loc. cit. tit. 4. cons. 3. n. 26. & seq. recte probat, quod potest nominari, & deputari unus etiam Syndicus pro quocumque Hospitio habente suum Præsidem, & Religiosos ubi degentes, & unus à Superiori Generali pro Religione, & à Provinciali pro Provincia, qui gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudet Syndicus cujusque Conventus: accedente ad id etiam inveterata praxi, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, & leg. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus. (Verb. Consuetudo, & verb. Lex) Quod idem dicendum videtur de infirmitatis, quæ reguntur diverso, ac distincto regimine ab illo Conventu; Cum ubi eadem est ratio, eadem debeat esse juris dispositio: L. ideo 27. ff. de Legibus, l. illud 32. ff. ad Leg. Aquil. cap. Inter corporalia 2. de trans. Episc. (Vid. lit. A. pag. 198. col. 2. in novis.)

Non possunt autem dicti Superiores deputare alios syndicos pro Religiosis particularibus, ut colligitur ex constit. Urbani VIII. incip. Militantis. . . & const. Innoc. XI. incip. Exponi Nobis; ubi statuitur quæcumque elemosynarum oblationem ipsis fratribus factam, ratione concionum, Syndicus Conventuum dumtaxat libere, & integre transmittendam, & consignandam fore: Immo fratres privati neque de licentia Superioris possunt habere apud Syndicum Conventus pecunias à massa communi separatas: Sicut enim nec pro se potest Superior apud Syndicum denarios habere nomine & auctoritate sua expendendos, aliàs censeretur reus proprietatis, utpote disponens de re non sua, ac si sui juris esset: Ita nec potest id subito concedere, sive agatur de pecunia, quæ obvenit Fratru titulo concionis, sive etiam ratione donationis, aut mercedis oblatæ; nam quovis titulo non est Frater, nec sub dominio Superioris, sed Pontificis, juxta citatas constitutiones Martini IV. & V. ac Pauli IV. ideoque neque est in potestate Superioris dispendere, ut à Syndico ab alia sequestrata retineatur in commodum Fratris particularis ad ejus occurrentes necessitates relevandas, aliàs de alieno disponderet, & particeps, vel causa esset proprietatis, qua Frater contra Regulam delinqueret. Sic expresse Mathæuc. in cit. Schola paupertatis tit. 2. consil. 3. num. 45. Quinimmo Innocentius XI. constituit incip. Sollicitudo Pastoralis Officii. . .

citudo Pastoralis Officii . . . confirmat. ab Innocent. XII. constituit. *incipi.* Alias . . . sic expresse statuit: *Demam ut omnis occasio transgrediendi preceptum de non consecrandis denariis seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælati, sine superioribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pena privationis suarum officiorum injungimus, ut nulli Religioso ejusdem Ordinis permittat administrationem fundorum, reddituum, & quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscumque Domini illa sint, & signanter, ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus monasterii monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili.*

21 Insuper dicti P. Mattheucci. in *citata*. Schola pauperum tit. 2. consil. 3. sub num. 45. proposito hoc dubio. *Quid, si quis sibi reservato dominio sponte deponat apud Syndicum, non voluit Syndicum, sed tanquam suum substitutum, vel Depositarium, summam pecunie expendendam in necessitatibus talis Fratris, eique significet: Tradidi Syndico centum aureos, ut illis tuis necessitatibus provideat? Respondet, quod in casu talis Frater non potest consentire in depositum, & debet protestari, ac informare Syndicum se non posse in pecuniâ depositam consentire, ad quas sic depositas recurrere nequit nisi posita vera necessitate, & accedente licentia Superioris. Hæc ille.*

22 Posita tamen vera necessitate, & negligentia Superioris in ministrando necessaria, potest Frater substitutus, nedom in tale depositum sponte oblatum, & factum consentire; sed sine peccato suis indigentibus providere per recursum ad amicos spirituales, dummodo servet modificationes per declarationes Pontificias in cit. constitutionibus præfinitas: Necessitas enim non habet legem; c. Sicut 11. de consecrat. dist. 1. c. Consilium 21 de observation. jejunior. cap. Omnes 1. de Fer. cap. Consulisti 3. de celebrat. Misar. & cit. cap. Exiit 3. de verborum significat. in 6. quia ut expresse habetur in capit. Quod non est licitum 3. de Regulis Juris: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* (Vid. lit. c. pagin. 243. num. 17.) Cavere tamen debet subditus, ne proprium commodum pro necessitate sumat, & judicet; nec facile sibi ipsi credere debet, cum regulariter quis in re propria solet accutere; unde Superiorum aliorumque prudentium expertorum judicium, & consilium exquirere debet: Quinimmo nunquam recurrere debet ad amicos spirituales, ut isti suis necessitatibus pecunia provideant, nisi prius requisita explicita Superiorum licentia, quamvis possit in aliquo casu sufficere tacita, & præsumpta.

23 Quænam autem sint dictæ Pontificiæ modificationes observandæ, & pro quibus necessitatibus possit à Fratribus Minoribus haberi recursus pro pecunia ad amicos spirituales, breviter gratia, utpote extra titulum, videndæ relinquuntur in citatis Decretalibus Nicolai III. & Clementis V. & in allegatis constitutionibus, & declarationibus Martini IV. & V. ac Pauli IV. à Religione acceptatis, & novissime ab Innoc. XI. confirmatis, & abunde apud Regulæ Expositores, & signanter apud Marchant. in expositione cap. 4. & in relectione theologica per tot. Mattheuc. in schola pauperum tit. 2. consil. 3. & 4. & tit. 4. per tot. ac Felix Potest. tit. 1. part. 5. d. n. 1149. ubi d. n. 1161. duos tradit modos, quibus fratres uti possunt in suis subveniendis necessitatibus cum omnimoda observantia Pauperum à S. P. Francisco præceptæ. Vide omnino, & serva.

24 Bona Syndici sunt tacite hypotheca pro securitate elemosynarum; unde ex bonis Ex-syndici debet damnum reparari; si ipse indebite, ac injuste administraverit, ne pia Benefactorum destituatur intentio, & ipsi Fratres opportunitis auxiliis fraudentur, textu expresso in *cit.* cap. Exiit 3. §. Ad hæc quia, & de verborum significat. in 6. Mattheuc. loc. cit. tit. 4. consil. 4. num. 16. & alii passim: Sicque novus Syndicus instare debet pro recuperatione pecunie, habetque actionem contra Ex-syndicum; & ejus hæredes; Mattheuc. loc. cit. tit. 4.

consil. 4. num. 17. & 13. Et tit. 5. consil. 3. num. 60 & 86, ubi refert. ad id causas sic Romæ decidas. Cum enim elemosynæ non conferantur Syndico, ut eas suo arbitrio ludis, ac negotiationibus exponat, vel alias dissipet, sed taxative pro solis Fratrum necessitatibus, sibi imputari debet, si ex propriis supplere tenetur, que in alios usus illicite, & male consumpsit contra donantium intentionem, & mentem Pontificis, contra in Clementina. Quia contingit 2. de Religiosis domibus expresse esse statutum, quod ea, que ad certum usum largitione sunt destinata Fidelium, ad illam debeant, non ad alium (salva Sedis Apostolicæ auctoritate) converti. (Lit. B. pagin. 401. col. 1. prope fin. in add. nov.) Et ob id Syndicus conveniri debet coram Judice Conservatore ex infra afferenda constitutione Clementis VII. incipient. Dum consideramus §. 2. Et Ex-syndicus, si sit laicus, conveniri potest etiam coram Judice laico; & si sit ecclesiasticus, conveniri debet coram Judice ecclesiastico, cap. Si quis Clericus 1. & cap. Nullus 2. de foro competentis, cum similibus. Et etiam conveniri potest coram Judice ecclesiastico Ex-syndicus laicus, si Juxta laicus fuerit negligens in administrando Syndico debitam de jure justitiam, cap. Licet 10. & cap. Ex tuncore 11. de foro competentis, Mattheuc. loc. cit. tit. 4. consil. 3. num. 21. & tit. 4. consil. 4. num. 23. & 24. & alii passim. (Verb. Forum, in add. hisp.)

Syndicus Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus Ex-syndicum decessum, vel ejus hæredes, & sic etiam adversus substitutos dantium, seu donantium, & alios veros debitores. Cum enim pecunia pro necessitatibus Fratrum Syndico, seu substituto consignata, sint sub dominio Papæ, & Syndicus Apostolicus à Fratribus nominatus sit ipsius Papæ Minister, Oeconomus, & Procurator, debet cum ceteris Creditoribus in concursu admitti, ut judicalem petitionem intenteat, & hac forma pecunias male ab infideli administratore alienatas, seu dissipatas, aut aliis ab aliis justo titulo vere debitas, Papæ suo Principali recuperet; & quidem suo ordine anterioritatis iuxta ordinem faciendi restitutionem assignatam sub verbis. Restitutio art. 4. num. 29. Cum hac tamen advertentia, quod si pecunia pro indigentibus Fratrum Syndico, seu substituto tradita, in individuo ab aliis distincta, & separata reperitur (de quo vel syngrapha appareret, vel esset in capsula deputata ad asserendas solas dictas elemosynas pro Fratrum necessitatibus oblatas) esset novo Syndico integre credenda, quamvis nihil omnino superasset, quo alii creditoribus satisfieri posset, per jura ad similia allata sub dict. verbis. Restitutio art. 4. num. 31. Hinc pro obviandis litigiis, que possent suboriri circa dictas pecunias pro Fratribus à Benefactoribus donatas, instruendi, & serio admonendi sunt Syndici, ut supradictam omnino fideliter servent praxim in illarum asservatione, & custodia.

Possunt Conventus præter Syndicum etiam habere Substitutum nominandum à dicto Syndico. *Communis, per text. in cit. cap. Exiit 3. §.* In ea vero, *de verborum significat.* in 6. ubi deciditur Substitutum principalis Domini posse alium substitutum nominare; Syndicus autem est substitutus, seu Delegatus Domini principalis, nempe Papæ, de cujus dominio sunt res pro Fratribus relicte, & per ipsam in eorum necessitate applicandæ; & id habetur in statutis Capituli Generalis anni 1676. confirmatis in forma specifica ab Innocentio XI. constituta. *incipi.* Militantis . . . ibi: *Capitulum Generale præcipit sub pena privationis suffragii, quod Minister, seu Pro-Minister, & Custos cujuscumque Provincie simul ad Capitulum iter faciant cum unico tantum socio Religioso pro utroque, & si expense aliquæ in itinere ex necessitate faciendæ sint, adducant secum Tertiarium, qui Syndici Apostolici substitutus sit, & ipsius nomine expensas prædictas inevitabiliter faciat.*

Talis igitur Substitutus non est deputandus à Fratribus, cum Generales, Provinciales, & Custodes privilegiati non sint ad deputandos hujusmodi substitutos, sed Syndicos duntaxat; prout clare patet in d. constitutione.

tione Pauli IV. *incipi.* Ex Clementi . . . Unde talis substitutus nominandus, & deputandus est ab ipsomet Syndico, ubi prospiciat se non posse in totum per se ipsum munus implere; arg. Cit. statut. Generali. confirmat. in dicta constitutione. Militantis, & cap. Si pro debilitate 3. & cap. Præerea 5. de Officio, & potestas Judicis deleg. cap. Cum causam 6. de appellationibus 1. A Judice 5. Cod. de iudicio, ubi disponitur, quod Delegatus à Papæ, vel Principe (uti est Syndicus Apostolicus) potest subdelegare. Immo Syndicus Apostolicus, nedom unum, sed & plures substitutos, prout opus fuerit, potest deputare; Sic expresse Felix Potest. tom. 1. part. 2. num. 148. verb. Syndicus & alii, arg. Cap. Cum te consulente 18. de Officio, & parat. Judic. delegat. ubi statuitur, quod Delegatus à Papæ potest unum, vel plures subdelegare, & tenet Gioffa 1. ibidem; & alii passim: Et id videtur expresse concessum etiam in cit. cap. Exiit 3. §. Articulum isum, & §. In ea vero, *de verborum significat.* in 6. Hinc Substitutus, seu Substitutus non dicitur, seu non dicitur, Substitutus, seu Substitutus Fratrum, sed Syndici Apostolici; & ideo debet substitutus, vel debent substituti pecunias recipere nomine Syndici, easque de ejus auctoritate, saltem generali in Fratrum necessitate expendere, & ei rationem reddere, non autem Fratribus, ut rectè advertit Mattheuc. Official. Curia cap. 51. num. 8. & in Schola pauperum tit. 4. consil. 2. num. 8. dicens posse solam Fratres Syndicum monere de assumenda pecunia apta, & idonea, seu de assumendis personis aptis, & idoneis, easque, seu eas proponere, ut eam, seu eas assumat, si sibi placuerit, ad text. in *cit.* cap. Exiit 3. Articulum itum. (Vid. verb. Delegare, & Tutela.)

30 Nec possunt Fratres à Syndicis computus Juridicos tanquam Domini exigere, sed solum ad experendam fidelitatem ipsorum, ad quam exhortandi sunt, possunt cum eis computus naturales facere. Sic constit. Generales Ordinis cap. 4. §. 2. pag. 83. Lantosa in Theatr. Reg. verb. Syndicus in fine, Mattheuc. Official. Cur. c. 17. num. 44. & alii.

31 Possunt tamen Generales, & Provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos Syndicos removere, aliosque subrogare, seu nominare, vel deputare. Sic concessisse Innocentium IV. refert Casarub. in compend. privilegiorum, verb. Procuratores Fratrum, seu Syndici num. 1. ibi: *Concessit etiam, quod liceat prædictis Ministris præfatos viros sic constitutos removere, aliosque ad prædicta exequenda sine difficultate aliqua subrogare, quoties videbitur opportunum.* Et idem concessit Paulus IV. in d. constit. *incipi.* Ex Clementi. Et concordant statuta Generalia Ordinis cap. 4. §. 1. num. 3. ibi: *Declaramus, quod Generales, vel Provinciales Ministri, non autem Guardiani, possint nominare aliquos extra Ordinem, sicut nominatos privare, qui sint veri, & legitimi Administratores, Oeconomi, Actores, & Procuratores &c.*

32 Quæ Generalia statuta Ordinis *ibidem* num. 5. expresse ordinant, quod sine dicto Procuratore, vel substituto nihil emi, aut vendi, vel de elemosynis prædictis sub quoqueque prætextu disponi possit sub pena proprietatis, sub qua etiam pena prohibemus, unde Guardianus, nisi in manu Syndici, vel substituti ejusdem licentia elemosynas pecuniarias teneat, vel per manus aliorum expendat.

33 Syndici Apostolici, seu Procuratores Fratrum Minorum amplissimum habent facultatem ex concessionepatrum Summorum Pontificum, & signanter ex concessione Pauli IV. constit. 1. *incipi.* Ex Clementi . . . in qua inter alias confirmat, & innovat concessionem eis factam à Martino IV. circa elemosynas omnes quomodocumque ad dictos Religiosos provenientes, seu spectantes, nimirum illas; *Per se petendi, recipiendi, exigendi, alienandi, transigendi, pasciendi, agendi, conveniendi, promittendi, remittendi, quietationem faciendi, agendi, defendendi &c. cum illis, & contra illos, qui hujusmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, seu relictas elemosynas Fratribus in testamento occupant &c. ac generaliter in om-*

nibus causis pro rebus, & locis hujusmodi ad ipsam ecclesiam spectantibus &c. in Judicio; & extra illud &c. ut fuse in dict. constit. Pauli IV. *incipi.* ex Clementi . . . & de quibus late P. De Gubernatis in Orbe Seraphico lib. 3. tom. 1. cap. 17. ac Roia in Romana, & Mexicana 22. Junii 1699. §. Quomodo coram Cardinali de la Tremouille.

34 Ad impedienda autem multa inconvenientia ex parte dictorum Syndicorum, seu Procuratorum, oriri solita in alienationibus rerum relictarum ipsis Religiosis, seu Conventibus, congruum existimatum fuit in Sacra Congreg. Concil. die 18 Martii 1719. exquirere aliquod remedium; narrando quod à Syndicis Apostolicis res, & bona Conventibus, & Religiosis relicta aliquando vilissimo pretio venduntur, vel quia Syndici eas vendunt favore Propinquorum, vel quia contrahunt cum personis, quibus resistere non possunt, vel nolunt. Fuit præerea in Congregatione habita dictæ die questum: *“An, & quale temperamentum sit capiendum in Prædictis hereditatibus? Quoad mobilia prædicta Ecclesie incorporata esse necessarium Beneplacitum Apostolicum: Quo vero ad omnes alias res in futurum non possit Syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia auctoritate Edictorum, ut venditio fiat majori Oblatione?”* Sic refert Ursaya tom. 3. part. 4. discept. 30. in fine, & Cardinal. Petra tom. 5. Commentar. in consil. 5. Pauli II. sed. 5. num. 5. Vid. Mattheuc. Official. Cur. cap. 30. num. 28. ubi & ipse dicit; *“magna ornamenta ecclesiastica non posse alienari sine licentia Sedis Apostolicæ.”*

Syndici Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus; & mixtis; motis; & movendis: Sic expresse concessit Clemens VII. constit. 19. *incipi.* Dum consideramus . . . *Incipit. Dam consideramus assiduos labores, & vigilias, quos dilecti Filii Syndici, & Procuratores domorum, & monasteriorum FF. Minorum S. Francisci Regulæ Observantia, & Monialium S. Clare, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum Terentiæ Regulæ S. Francisci, sustinere non cessant, merito Nos obligant, ut animarum suarum saluti consalutemus, ipsosque à quibusvis molestiis, & injuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.* *Incipit. Ideo uni Syndico, & Procuratori hujusmodi cum illius uxore, & liberis presentibus, & futuro singule domi, & monasterio prædicti pro tempore servientibus, quod de cetero perquisitis futuris temporibus, ipsi, & eorum quilibet omnibus, & singulis indulgentiis & peccatorum remissionibus, favoribus, & gratis, quibus FF. Ordinis Observantia prædictorum utuntur, potuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere possint, & valeant.*

Insuper in quibusvis causis, & rebus ipsis Syndicum, & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Judicibus Conservatoribus domorum illarum, quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit, de justitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus. Inhibendo sub executionis latæ sententiæ spana universis, & singulis Judicibus, Commissariis ecclesiasticis, & secularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ne de causis contra dictos Syndicos, & Procuratores, motis, & movendis, directe, vel indirecte, quovis quisito colore, seu prætextu se intromittere quomodolibet de cetero audeant, vel præsumant. Decernentes quocumque processum contra dictos Syndicos, & Procuratores per alios, quam dictos Conservatores, in causis duntaxat contra eos motis, & movendis, habendos, & sententiis ferendas, nullos, & invalidos, nullisque roboris, vel momenti fuisse, & esse, & irritum, & inane, si secus super his à quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus &c. Romæ 16. April. 1526.

Ad hoc ab Innocentio XI. confirmatum in forma specialis.

cifica decreta variat. Sac. Congregat. emanata super exemptione praefatorum Syndicorum.

¶ Aliis pro parte dilecti Filii Francisci Mariae Tagliiferi Procuratoris Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci, de Observantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium FF. Nostorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcop. & Regul. praeposita, exposito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & praesertim fel. recor. Nicolaus III. & Nicolaus IV. Martinus V. & Eugenius IV. praedecessores nostri, ut vera Observantia, Regulæque puritas in Ordine praedicto vigeret, & magis augetur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conservarentur, statuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ord. assignaretur unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus, qui omnes elemosynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque solus in necessitates FF. praefatorum applicare deberet.

¶ 1. Et subinde recol. mem. Clemens Papa VII. etiam Praedecessor Noster, intuitu laborum, quos eiusmodi Syndici in beneficio dictorum FF. quocumque tempore, & quavis occasione assidue sustinebant, eosdem Syndicos a foro seculari exemerat, volens, ut in causis tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, non nisi coram Iudicibus Conservatoribus eorumdem FF. Minorum de Observantia de Iustitia respondere tenerentur, & alia prout in ipsis Clementis Praedecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die 16. Apr. 1626. expeditis, plenius dicitur contineri.

¶ 2. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium huiusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse, alii vero preterderent, illud Syndicis praedictis, ratione eorum officii tantum, non autem uti talibus personis, competere, unde fiebat, ut FF. praedicti non sine paupertatis, & regulae, quam profiterentur, suarumque conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum Syndici, sive Procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellet.

¶ 3. Ideoque pro parte praefati Francisci Mariae Procuratoris Generalis dictae Congregat. Cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud Syndicis, sive Procuratoribus huiusmodi, ut talibus personis competere declararetur.

¶ 4. Emanavit ab eadem Congreg. Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet: Sacra Congregat. EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regul. praeposita, atque iuxta remissione libelli per S. D. Nostrium facta, referente Em. Norfolk, censuit danda esse Oratori decreta aliis edita, nempe super praemissis servandam esse praefatam constitutionem san. mem. Clem. VII. prout praesentis decreti tenore omnino servari mandat, & praecipit. Romae 28. Mart. 1686.

¶ 5. Porro cum dictus Franciscus Maria Procurator General. praenarrata pariter exposuisset Congregationi etiam Venerabilium FF. Nostorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Immunitate ecclesiastica, & controversiis Jurisdictionalibus deputatorum; haec Congreg. censuit danda esse decreta anteriora tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congr. super Immunitate ecclesiastica, & controversiis Jurisdictionalibus habita sub hac die Martii 1686. circa exposita in praesenti supplicii Libello, dixit, danda esse decreta, ut infra. Die 31. Maii 1639. Fanen. Provincialis FF. Minorum Observantiae San. Francisci, Sacra &c. censuit respondendum Episcopo, ut quoad exemptionem Syndicorum FF. Min. de Observ. loci de Cartoceto faciat Bullam Clem. VII. observari, si in eo concurrant requisita ejusdem Bullae.

¶ 6. Die 11. Nov. 1642. Perusina. Fratres S. Francisci Min. Observ. Sacra &c. censuit servandam esse Bullam Clem. VII. circa privilegium Fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinum FF.

Minorum S. Francisci de Observantia.

¶ 7. Die 4. Aug. 1654. Fanen. Episcopus: An Syndicus FF. Minorum de Observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio Fori? Sacra &c. censuit huiusmodi Syndicum gaudere privilegio Fori juxta Constitutionem Clementis VII.

¶ 8. Die 23. Maii 1645. Romana. P. Commissarius Generalis Curiae: querit: An Syndici, & Procuratores Apostolici Conventuum suae Religionis gaudeant privilegio fori etiam in causis, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, motis ante institutionem officiorum virtute Bullae Clem. fel. rec. Papae VII. Sacra Congreg. respondit; Syndicos Conventuum Ordinis FF. Minorum de Observ. S. Francisci ex Bulla fel. rec. Clementis VII. gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis etiam motis ante eorum deputationem, seu institutionem in Officium Syndicatus. (verb. Forum.)

¶ 9. Die 23. Maii 1645. Recinat. An Syndicus Monialium S. Clarae gaudet privilegio fori, prout gaudent Syndici FF. Minorum de Observantia? Sacra &c. censuit huiusmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori. In quorum fidem &c. Datum Romae sub hac die 20. Aprilis 1686.

¶ 10. Cum autem &c. Nos &c. Decreta praenarrata a memoratis Congregationibus Cardinalium respectively emanata auctoritate Apostol. tenore praesentium approbavimus, & confirmavimus, illisque inviolabilibus Apostolicae firmitatis robur adjuicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate earundem respectively Congregationum Cardinalium. Decernentes &c. sique in praemissis &c. irritum, & inane &c. non obstantibus &c. Romae 19. Junii 1686.

¶ Dicit Syndici Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec conveniri, nisi coram Iudice Conservatore. Ita reperitur in libro Decretorum Sacrae Congregationis super Immunitate Ecclesiarum, & controversiis Jurisdictionalibus sub die 10. Maii 1669. videlicet: "Sacra Congregatio in habendo declarationibus aliis factis censuit, Procuratorem, & Syndicum FF. Minorum de Observantia ex Bulla fel. rec. Clementis VII. gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, & insuper non posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, neque a quocumque molestari, nisi coram legitimo Conservatore. Romae hac die 7. Januarii 1699."

¶ Et sub die 9. Augusti 1761. Sacra Consulta in favorem Syndici Conventus Terrae Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus Communitatis, rescripsit: extrahi alium, & iterum proposita causa, & instante loci Gubernatore sub die 19. ejusdem mensis, & anni respondit: In decisio.

¶ Tales Syndici gaudent privilegio fori sunt exempti a repraesaliis.

¶ Spoletana.

¶ Instantibus Monialibus monasteriorum SS. Trinitatis, S. Pontiani, & S. Catharinae pro declaratione, Agentes dictorum monasteriorum esse exemptos a Repraesaliis; Sacra Congregatio super Immunitate ecclesiastica, & controversiis Jurisdictionalibus habita sub die 14. Januarii 1698. censuit, Syndicos tantum gaudentes privilegio Fori esse exemptos a repraesaliis. Romae hac die 7. Januarii 1699.

¶ Hic juvat subnectere varia decreta Sacrae Congregationis Immunitatis ad rem facientia, prout referuntur a D. Riccio in sua Synopsi verb. Syndicus nempe.

¶ Bulla fel. mem. Clementis VII. circa privilegium fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Fratrum Minorum Observ. S. Francisci, est observanda. Sacra Congregat. Immunit. in Perusina 17. Novemb. 1642. lib. Decret. Pauluc. pag. 190. in Maeratan. 8. Martii 1644. ibi p. 221. in Fanen. 4. Aug. 1654. lib. 5. Decretal. Paul. pag. 48.

¶ Syndici Conventuum Ordinis FF. Minor. Observ. ex Bulla supracitata gaudent privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, etiam

motis ante eorum deputationem, seu institutionem ad officium Syndicatus. Sacra Congregatio Immunit. in Romana 23. Maij 1554. lib. 3. Decretal. Pauluc. pag. 251.

43 Syndicus legitimus, & unicus Fratrum Minorum strictioris Observantiae ex laudata Bulla gaudere debet privilegio fori, tam in causis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, nec a quocumque molestari, nisi coram legitimo Conservatore. Sacra Congreg. Immunit. in Terracin. 7. Septemb. 1666. lib. 1. Decret. Altoviti p. 32.

43 Non potest compelli ad exercenda munia publica Communitatis. Sacra Congreg. Immunit. in Sabini. 10. Maij 1667. ibi pag. 124.

44 Nec ad solvendas collectas pro oneribus communitatis super propria ipsius bona, dummodo sit unicus Syndicus Conventus. Sacra Congreg. Immunit. in Feretrana 19. Maij 1704. lib. 3. Decret. Vall. pag. 488. & in Martiriana 29. Martii 1705. lib. 3. pag. 466.

45 Syndicus Conventus FF. S. Francisci Min. Observ. est subiectus Jurisdictioni Religiosorum, non existente legitimo Conservatore Religiosis. Sacra Congreg. Immunit. in Assisiten. 21. Aprilis 1643. lib. 3. Decretal. Paul. p. 198.

46 Syndicus Conventus S. Francisci de Alvernia habitans in civitate Esina non gaudet privilegio Syndicorum vigore Bullae Clementis VII. Sacra Congregat. Immunit. in Esina 24. Maij 1701. lib. 3. Decr. Vall. pag. 353.

47 Episcopus potest procedere contra Syndicum FF. Min. Observ. S. Francisci ob contraventionem diei Festo. Sacra Congreg. Immunit. in Forosemprom. 25. Jan. 1650. lib. 4. Decr. Paul. p. 97.

48 Sacra Congregatio declarat bene processum fuisse per Curiam episcopalem contra Syndicum huiusmodi attempto consensu ejusdem Syndici in Jurisdictionem. Sacra Congreg. Immunit. in Auximiana 10. Septemb. 1647. ibi p. 26.

49 Episcopus insinuet Syndico FF. Minor. Observ. ut vel abstinere a syndicato, vel ab officiis publicis. Sacra Congreg. Immunit. in Asculana 4. Apr. 1656. lib. 5. Decr. Paul. p. 9.

50 Immo Syndicus FF. Min. Observ. & simul Appaltator Ovorum in loco Montis Falchi quoad pertinentiam ad appaltum non gaudet privilegio fori. Sacra Congreg. Immunit. in Spolejana 21. Novemb. 1702. lib. 6. Decr. Vallent. p. 100.

51 Syndici FF. Minorum Observant. S. Francisci tenentur praefere mandatis Aedilium quoad merces, & earum exemptionem, & venditionem, sive etiam translationem ad loca nundinarum. Sacra Congreg. Immunit. in Ariminen. 15. Decemb. 1671. lib. 1. Decr. Altov. p. 671.

52 Pro Syndicis FF. Cappuccinorum dantur Decreta emanata pro exemptione Syndicorum FF. Minor. Sacra Congreg. Immunit. in Romana 15. Decemb. 1671. ibi p. 633.

53 Syndicus fabricae Conventus FF. Cappuccinorum gaudet privilegio fori ad tenorem cont. fel. mem. Clement. VII. Sacra Congreg. Immunit. in Recinat. 17. Martii 1674. ibi p. 911.

54 Syndicus Monialium S. Clarae allegare potest privilegium fori coram Conservatore, eoque gaudere. Sacra Congreg. Immunit. in Urbanen. 8. Apr. 1642. lib. 5. Decr. Paul. p. 174. & 4. Sept. 1668. lib. 1. Decr. Altov. p. 263.

55 Syndici Monialium S. Clarae gaudent privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Minorum Observ. S. Francisci. Sacra Congreg. Immunit. in Recinat. 15. Febr. 1656. lib. 5. Decret. Paul. p. 89.

56 Et sunt exempti a repraesaliis. Sacra Congreg. Immunit. in Spolejana 14. Januarii 1698. lib. 2. Decret. Vallent. p. 133.

57 Syndicus Monialium S. Clarae gaudet exemptione quoad onera personalia tantum. Sacra Congreg. Immunit. in Ariminen. 15. Martii 1672. lib. 1. Decret. Altov. p. 662. & in Forosempromen. dictis die, Ann. & lib. p. 664. & in Feretrana 27. Febr. 1674. ibi p. 93.

Syndicus Monialium S. Clarae, licet teneatur ad collectas Communitatis impositas pro solutione salarii inservientium Communitati, cum non sint onera personalia, attamen quia fuit in bona fide, & actus executionis factus a Iudice laico non potest ipsum continere in mala fide, non tenetur ad solutionem dictarum collectarum, nisi post decretum Sacrae Congreg. quod declaratum fuit dictum Syndicum gaudere privilegio fori, & exemptione ab oneribus personalibus tantum. S. Congreg. Imm. in Feretr. 31. Julii 1674. lib. 1. Decr. Alt. p. 974.

¶ Syndicus Monialium S. Clarae quoad privilegium personale non gaudet, nisi in loco, ubi exercet officium. Sacra Congreg. Immunit. in Feretrana 31. Aug. 1671. lib. 1. Decret. Altov. p. 1445.

¶ Syndici Terrae S. Petri gaudent privilegio quoad forum, & personam. Sacra Congreg. Immunit. in Carac. 14. Sept. 1626. lib. 1. Decr. Paul. p. 15.

¶ Unus autem tantummodo Syndicus Apostolicus pro unoquoque Conventu gaudet praedictis Apostolicis privilegiis, prout pluries rescriptis Sacra Congregat. Boni Regiminis, & signanter in Pisaurien. 24. Jan. 1699. & patet ex allata constitut. Clementis VII. §. 2. ibi: Idcirco uni Syndico, & Procuratori huiusmodi, & ex allata etiam Constitutione Innocentii XI. ante §. 1. ibi: Unus Procurator, sive Syndicus Apostolicus.

¶ Insuper eadem Sacra Congreg. Boni Regiminis die 19. Julii 1654. proposita causa ad instantiam quarundam Communitatum, partibus auditis, censuit, Syndicos Apostolicos teneri ad onera Communitatis. Sic referunt Matthaeus Official. Cur. c. 51. num. 6. & Ursaya tom. 3. part. 1. discept. 30. n. 58.

¶ Ecclesiastici assumpti in Syndicos Apostolicos non sunt exempti a Jurisdictione Ordinarii. Sacra Congreg. Conc. die 5. Julii 1710. in Insulana Exemptionis, in qua pro Syndico Apostolico, qui erat Sacerdos, proposito dubio: "An Sacerdos Felix de Solda Syndicus unicus PP. Minorum Sancti Francisci de Observantia civitatis Insulae sit exemptus a Jurisdictione Episcopi, tam extra visitationem, quam in actu Sanctae Visitations" fuit rescriptum, Negative in casu, de quo agitur, in quo concurrebant multae circumstantiae additae talis exemptionis, propter quas Sacra Congreg. addidit illa verba: In casu, de quo agitur. Sic refert Ursaya tom. 3. p. 1. discept. 30. n. 50.

¶ Syndici Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod seculares non pernoctent in Conventibus FF. Minorum. Sic Sacra Congregatio Episcop. & Regul. expresse respondit ad dubium eidem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Atina Procuratorem Generalem Ordinis praepositum: An scilicet dicti Syndici comprehenduntur in decreto emanato die 1. Decemb. 1679. Auditio enim Patre Ministro Generali Ordinis, & attentis narratis, dicta Sacra Congregatio censuit, ac declaravit, praefatos Syndicos Conventuum ejusdem Ordinis non comprehendi in enunciato Decreto. Romae 4. Decemb. 1699. G. Card. Carpineus.

¶ Syndico Apostolico dumtaxat licitum est, non Fratribus Minoribus de Observantia, seu reformatis, exigere in Iudicio legata facta Sacristiae, vel fabricae Ecclesiae, aut Conventus. Cum enim in Congregatione ad id specialiter ab Urbano VIII. deputata fuissent proposita haec duo dubia: "I. An valeat legatum annui redditus factum fabricae Sacristiae, vel Ecclesiae FF. Minorum tam de Familia, quam ex Reformatione?" "II. An liceat Fratribus huiusmodi legata in Iudicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apostolicos?" Responsum fuit: Ad I. Valere legatum annui redditus factum Sacristiae, vel fabricae Ecclesiae, vel Conventus FF. Minorum, tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate. Ad II. Nec per seipso, nec per alios licere Fratribus in Iudicio exigere huiusmodi legata, sed Syndico Apostolico dumtaxat. Sic apud Fagnanum dictae Congregationis Secretarium in cap. Nimis prava num. 49. & 12. de excoisibus Praelat. & apud tom. 2. Thesauri resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, in expositione causae in Firmiana Legatorum §. Haec sunt.

66. Syndicus Apostolicus nequit habere dominium, & possessionem census relictæ Fratrum Observ. & Reformati. Et dicti Syndici nomine nequeunt præfati Fratres retinere bona stabilia, census, aliosque annuos redditus. Sic apud d. tom. 2. Thesauri resolut. Sacre Congregationis Concilii in expositione cause in Firmana Legatorum §. Tum quia... ubi refertur ad id resolutio cit. specialis Congregationis, & Congregationis R. Fabricæ in *Epina Legati* 26. Novemb. 1692. & Sacr. Congr. Concil. 2. Octob. 1721. ubi ad dubium: "An Religiosis S. Francisci Min. Observ. Murri Vallium liceat retinere legatum reliquum à quondam Ludovico Moretti in casu &c. Responsum fuit: Negative, & Syndicum tenentur ab hæredibus per modum elemosynæ."
67. Syndicus Minorum de Observantia, & Reformatum in concernentibus correctionem eorum, non est exemptus à Jurisdictione Ordinarii. Sacra Congr. Concil. in *Nallus Altamura Exemptionis* 5. Aug. 1715. ad V. apud d. Thesaurum tom. 9. circa fin.
- (Super exemptione, de qua hic agitur, Syndici cujuscumque monasterii Fratrum Min. de Observ. nil Lectori exhibeo, si attente perlegatur additiones hispanicæ, verb. Appellatio, ibique Breve Sanctitatis D. Clementis XIV. verb. Clericus, verb. Conservatores, (admissi dum fuerint) multum ad rem quæ etiam verb. Familiaris, n. 49. & 60. Forum, verb. Laicus, n. 7. & 28. verb. Magister, n. 19. cum verb. Advocatus, art. 2. num. 16. notatur: De Syndici & Procuratoris discrimine, vide verb. Procurator.)

SYNODUS DIOECESANA.

SUMMARIUM.

- Synodus ex græco interpretatur Comitatus, vel Cætus.
- Synodus diœcesana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua diœcesi: Potestque celebrari etiam extra Ecclesiam.
- Et si necessitas postularet, posset Synodus etiam sæpius in anno celebrari.
- Episcopus non celebrans singulis annis Synodum diœcesanam incurrit penas à jure statutas.
- Episcopus duarum civitatum unitarum debet in utraque diœcesi alternative Synodum celebrare; nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius.
- Afferuntur ad id aliæ Novissimæ Resolutiones Congregationis Concilii.
- Episcopus nondum consecratus, si Bullas expedivit, potest Synodum convocare.
- Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii.
- Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminentiss. Cardinali Urbis Vicario.
- Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum convocare.
- Vicarius Capitularis, sede vacante, potest, immo debet Synodum congregare.
- Abbas, alique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant tria requisiti, quæ assignantur.
- Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium.
- Si in diœcesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, & non ad Episcopum spectat congregare Synodum.
- Non est ordinariè convocanda synodus, nisi prius expleta fuerit visitatio generalis diœcesis.
- Debet autem synodus fieri à multo tempore, quando habita non fuit à multo tempore.
- Episcopus in convocazione synodi non tenetur consilium Capituli requirere, nec in aliis actibus preparatoriis.

- Alii tamen tenent contrarium.
- Episcopus debet in publicatione decretorum synodi Capituli consilium exigere, licet sequi non tenetur.
- Requisitio consilii Capituli debet ab Episcopo fieri capitulo congregato, aliud non valet.
- Immo valde expedit, quod dicta requisitio facta Capitulo congregato, registretur in actibus synodi.
- Si Canonici, & Dignitates nollent à se ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per editam.
- Et in casu, quo totum Capitulum congregatum contradiceret, vel protestaretur contra synodum, posset Episcopus, his non obstantibus, ad synodi celebrationem procedere.
- Capitulum Cathedralis debet necessario expresse in specie, & nominatim ad synodum invitari.
- Si autem Canonici, & Capitulum synodo interesse recusent, cogi possunt ab Episcopo per censuras ecclesiasticas.
- Laici, quantum sit in facultate Episcopi eos invitare, non tamen possunt de jure præterdere, quod tenetur eos invitare ad synodum.
- Ad synodum accedere tenentur, & admitti debent solum Curati, & Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus.
- In casu autem, quod in synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ clerum universum tangat, omnes Presbyteri, & Clerici interesse debent.
- Tunc tamen si Episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in edito convocacionis.
- Exempti omnes, qui aliis, cessante exemptione, synodo interesse deberent, nec capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur.
- Omnes Curati, sive seculares, sive Regulares, tenentur ratione curæ Parochialis accedere ad synodum, etiam si Curati Regulares subduntur capitulis Generalibus.
- Synodo interesse tenentur etiam Abbates, alique superiores Regulares, & Prælati inferiores exempti, si per se ipsos curam parochiam exerceant; secus autem, si per alium, quia tunc ipsi soli alteri hoc onus incumbit.
- Item synodo interesse tenentur Vicarii, seu Capellani Religionis Hierosolymitani curam animarum habentes.
- Item synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesie Lateranensis.
- Rectores parochialium nullius diœcesis, etiam si sint Abbates, tenentur accedere synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare.
- Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, alique superiores parvorum Conventuum, qui subiacentur jurisdictioni Ordinarii, tenentur vocari accedere ad synodum.
- Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos multare, excepta multa pecuniaria.
- Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, & in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione.
- Episcopus potest cogere etiam Clericos subcolletores Apostolicos, ut synodo intersint.
- Episcopus potest juris remediis, etiam per censuras ecclesiasticas compellere ad interessendum synodo omnes supradictos obligatos synodo intervenire.
- Et sic etiam juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus residentiam habent Generales suorum Ordinum, quavis ista parochie non subjaceant visitationi Ordinarii.
- In synodo diœcesana potest Episcopus facere constitutiones, & decreta absque consensu, & approbatione Capituli, & Cleri.
- Solus Episcopus in synodo votum decisionum habet.
- Decreta tamen, seu constitutiones synodales, antequam

- asu recipiantur, debent ostendi Capitulo, & aliis interessentibus, eisque duorum mensium præfixi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam.
- Non tenentur tamen Episcopi synodum ostendere civitatibus, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur.
- Dum Roma reverentur decreta synodalia, non convenit quod Episcopus procedat ad eorum executionem.
- Non tenentur tamen Episcopi ante synodi publicationem ejus decreta misere.
- Constitutiones, seu Ordinationes factæ in synodo sunt perpetuæ, & non expirant morte conditoris.
- Constitutiones, seu Ordinationes synodales ligant Clericos, & Laicos Episcopo subjectos.
- Tales autem constitutiones synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares.
- Servanda tamen est synodus à Regularibus quoad tempus humanitatis casualiter.
- Item servanda sunt constitutiones synodales à Regularibus in iis omnibus, quæ concernunt observantiam sacrorum canonum, Conciliorum, Pontificiarum constitutionum, & decretorum Sac. Congr.
- Delenda est pena excommunicationis in decreto synodali contra Moniales scribentes, vel recipientes literas, quas Abbas non legitur.
- Expensis propriis vivere debent Canonici euntes ad synodum, & non gravare Capitulum.
- Canonici ecclesie collegiatae cedere debent locum in synodo Beneficiatis ecclesie cathedralis.
- An Canonici, & Clerici cathedralis sedere debeant in synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero collegiata ad sinistram?
- Beneficiati tamquam singuli, & vocati ab Episcopo possunt intervenire synodo, & in loco juxta præscriptum Pontificis.
- Adducitur decisio S. Rit. Cong. in una Spoletana Juris Sedeni in synodo pro Collegiatis S. Petri, & Sancti Georgii civitatis Spoletani cum Capitulo Cathedralis ejusdem civitatis.
- Afferitur decisio Sacre Congregationis Episcoporum in una Senogalliens. de duobus Curatis reclamantibus in synodo adversus litteras decreta.
- In fine synodi non interrogatur Clerus per verba Placete vobis.
- Non licet Episcopo cogere etiam multos singulos Presbyteros, & Clericos ad synodum impressam residentiæ.
- Ad synodum diœcesanam non tenentur adire omnes Canonici collegiatae, sed tantum ex his quatuor, nisi ad sit legitima consuetudo in contrarium.
- Simplex Sacerdos tenentur servare consuetudinem, & constitutiones synodales.
- Decreto synodali prohiberi non potest, ne Regulares celebrent ex legato in ecclesiis secularibus.
- Synodali decreto vetari non potest, ne in aliis ecclesiis exponatur adoranda reliquia SS. Crucis diebus, quibus exponitur in cathedrali.
- Constitutione synodali aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicumque sint seculares, sive Regulares officium exorcizandi exerceant sine speciali sua facultate sub penis arbitrio suo imponendis.
- Synodales constitutiones tenentur Presbyteri parochialium S. Joannis Hierosolymitani se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem, & curam animarum concernentia.
- Constitutionibus synodalibus, alique legibus etiam per edita promulgatis ab Episcopo sine Capituli consilio, & assensu, subiacentur idem Capitulum.
- Synodus Alexan. celebr. an. 1739. fuit declarata nulla.
- Alia ad rem, remissive.
- Subscribuntur Supplementa Auditoris, ad n. 155.
- Addit. ex aliena manu.

Synodus ex græco interpretatur Comitatus, vel Cætus; textu expresso in cap. Canones 1. dist. 15. vers. FERRAR. BIBLIOT. tom. VIII.

- Synodus: ibi, Synodus autem ex græco interpretatur Comitatus, vel Cætus.
- Synodus diœcesana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diœcesi. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum sess. 24. de reformatione cap. 7. ibi: Synodi quoque diœcesanae quotannis celebrantur. Potestque celebrari etiam extra ecclesiam, ex Monacell. tom. 1. tit. 6. form. 3. num. 7. Bott. Massob. ibi citatis. Et si necessitas postularet, posset synodus diœcesana etiam sæpius in anno celebrari, Barbosa ad Concil. cit. sess. 24. cap. 2. num. 17. & p. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 93. num. 2. Ugolin. de Offic. Episc. cap. 48. num. 3. & alii per textum in cap. De Conciliis 2. dist. 18.
- Episcopus non celebrans singulis annis synodum diœcesanam incurrit penas à jure statutas. Sacr. Cong. Conc. 26. Junii 1621. Episcopus omittens sine causa celebrare quotannis synodum de jure communi est suspendendus ab executione Officii, ex cap. Siccut olim, de accusationibus; Sac. Cong. Conc. 21. Martii 1590. apud Pignatell. tom. 4. consult. 132. Barbosa ad Sacr. Congr. Conc. loc. cit. num. 18. Gavant. in Manual. Episc. verb. Synodus num. 5.
- Episcopus duarum civitatum unitarum debet in utraque diœcesi alternative synodum celebrare, nec Capitulum unius cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. Sac. Congreg. Conc. in una Civitatis Castellane, & Hortane 8. Januarii 1624. & sæpius alibi teste Pignatell. tom. 4. consult. 132. Hinc eadem Sacr. Cong. Conc. in Valen. & Sulmonen. 3. Septembris 1550. declaravit, quod in qualibet civitate deputandi sunt Examinatores synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera civitate: Et quod Episcopus pro causis Diœcesanorum unius diœcesis deputare debeat Vicarium Generalem in illa diœcesi. Et etiam quod Clerici unius diœcesis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, & non transmitti ad carceres alterius diœcesis; sic apud Pignatell. loc. cit. ubi insuper adducit ad rem alia decreta sacre Congregationis Episcoporum.
- Afferuntur ad id aliæ novissimæ Resolutiones Sacre Congregationis Concilii, nempe in Ampullen. Synodi, ubi ita habetur: "Approximante tempore celebrationis Synodi, Episcopus, stante quod Ampuriensis diœcesis unita sit æque principaliter Civitatis diœcesis, nulla in hac parte suffulsa consuetudine, supplicat ab Eminentiss. VV. edoceri... I. An ipse tenentur celebrare synodum in utraque diœcesi, & quatenus negative. II. An reuvenitibus Civitatisbus accedere ad cathedralen Ampuriensem, eos juris remediis ad accessum, & ad Synodi observantiam compellere possit?" Et Sacra Congregatio 8. Maji 1694. Respondit: Ad I. Affirmative alternatim. Ad II. Negative, ut in lib. 4. Decret. p. 212. Et in Geruntinens. & in Cariaten. Synodi, & Gravaminum: Cum Capitulares, & reliqui de Clero Geruntinen. ad synodum per Episcopum indictam, & in civitate Cariatensis habitam, non accessissent, tum ob itineris incommodum, tum etiam quia Ecclesie Geruntinen. & Cariaten. fuerint inter se accessorie unitæ, & reservata tamen præminentia Geruntinensi, inter cetera disceptata fuerunt hæc dubia: I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur? Et quatenus negative. II. An licet diœcesim Geruntinam? III. An censura ab Episcopo fulminata contra Canonicos Geruntinos sustineatur? Et Sacra Congregatio die 7. Octobris 1786. Respondit: Ad I. Affirmative. Ad II. & III. Negative. Sed proposita causa sub dubio: An, & in quibus sit standum, vel recedendum à decisis sub die 7. Octobris 1706. in casu &c. Die 1. Febr. 1703. Rescripsit: Ad I. In decisis. Ad II. prævio recessu à decisis, Affirmative. Ad III. usque ad ultimum in decisis, ut in l. 53. decr. p. 53. Et in Matheranen. & Acheruntina Synodi, ad sequentia dubia: I. An licitum sit Archiepiscopo Matheranensi, & Acheruntino convocare Synodum Diœcesanam in civitate Mathera pro utraque diœcesi, seu potius eam celebrare teneatur in civitate